



INGRESSUS DISPUTATIONIS

FUmum vobis videbor
vendere, de furno acturus publicè. Et-
enim ex furno non aliud quàm fumus
prodit & fuligo. Inferni imaginem
furnus refert, adeò fuligine nigricant adyta, intus
præter flammam & æstum apparet nihil, & in æthe-
ra fumantes eructat furnus nubes. Adeò torva fa-
cies, quid in recessu vel pretii habet vel voluptatis, de
quo scribi mereatur? Ut sordes sileam, quibus inqui-
nantur, quos furnus exercet. Dixeris fuliginosam
Vulcani familiam, ita nigredine manus & vultus te-
guntur, & omne corpus ita pulvere obsitum est, ut
nova veluti cute incrustati appareant. Insuper tan-
quam à Gigante à superelsent progenie, ita humeris &
brachiis valent, robusti saccorum & lignorum Por-
tatores. Ita censent, qui in cortice hærentes non at-
tingunt nucleum. Enimverò appareat torva furni
facies; appareant sordidi ejus labores, & infra Tra-
ctationis dignationem; nunquam tamen à magnis
JCrus